

nardi recentis ac tritæ cribratæque vncias viij. in musti congiū similitèr addito, & duos menses inesse patitor. Vitè hepaticis, vrinæ difficultate laborantibus, inflatis atque stomachicis.

*De vino Daucite.* CAP. LXX.

Daucites sic: Radicis Dauci planè contusæ vncias vj. musti amphoræ similitèr indito, atque transfundito. Facit ad pectoris, præcordiorum ac vuluæ dolores: menses pellit, ructus cit & vrinas: prodest denique tussi, conuulsis atque ruptis.

*De vino è Salvia.* CAP. LXXI.

Vinum è Salvia similitèr conficito: Saluiæ vncias viij. in musti amphoram, quæ eadem cum ceramio est, simili modo mittito. Valet contra renum, vesicæ & laterum dolores, sanguinis excreationes, tussim, rupta, vulsa, contusa & menses suppressos.

*De vino Panacite.* CAP. LXXII.

Panacis vnciam j. in musti congiū vnum demittito, ac similitèr elutriato. Prodest vultis, ruptis, contusis & orthopnœæ: lienis crassitiem extenuat: est & efficax contra tormina, coxendicum dolores & tardas concoctiones: menses & partus extrahit; hydropi & venenatorum moribus auxiliatur.

*De vino Acorite.* CAP. LXXIII.

Vina ex acoro & è dulci radice, consimili modo

modo fiunt. Oportet enim singulorum vncias octonas in fenis vini congiis tribus mē-  
sibus macerare, moxque vinum in vasa trās-  
ferre. Faciunt ad lateris pectorisq̄ vitia, &  
vrinas mouent.

*De vino Selinite.* CAP. LXXIII.

Seminis apij maturi, recentis & cribrati  
vncias nouem linteolo colligatas in musti  
amphorā similiter demittito. Cibi appe-  
tentiam facit, atque stomachicis & vrinę dif-  
ficultate laborantibus auxiliatur: halitum  
quoque commendat.

*De vino Marathrite & Anethino.*

CAP. LXXV.

Ex Fœniculo, Anetho & Petroselino vina  
eodem modo concinnantur, ad eadem effi-  
cacia.

*De vino è Salis flore.* CAP. LXXVI.

Paratur & è Salis flore vinum ad purgan-  
dum efficacius, quàm quod aqua marina tē-  
peratur. Verùm fauces, renes, vesicam & sto-  
machum infestat. Quare neque in secunda,  
neque in aduersa valetudine vtile censetur.

*De vino Phthorio, seu Abortino.*

CAP. LXXVII.

Fit & vinum quod partus enecat, abortum-  
ve facit: Scilicet dum seruntur vites, veratrum  
aut cucumis syluester, aut scamnoneum ea-  
rum radicibus adiungitur circumponiturve,

## 56 DIOSCORIDIS

Ita siquidem vix illorum vires sibi asciscunt ac in sese trahunt, proindeq; vinum ex iis de promptum abortiuum euadit. Datur vero ieiunis mulieribus que ante vomuerint, aqua mistum cyathorum octo mensura.

*De vino Thymelæite.* CAP. LXXVIII.

Ramorum Thymelææ cum suis foliis & fructu drachmas triginta in tres musti congios mittito, & leui igne coquito, donec congiij duo supersint: deindeq; excolatū vinum recondito. Aquosa purgat excrementa, & lienem absumit.

*De vino Chamelæite.*

CAP. LXXIX.

Chamelææ fruticem dum floret cum foliis tusum cribratūque duodecim drachmarum pondere in multi congium addito, ac post duos menses vinum transfundito. Hydropicis, hepaticis atque delassatis auxiliatur, itēque fœminis quæ à partu ægrè purgantur.

*De vino Chamæpityino.* CAP. LXXX.

Chamæpityinuarum simili modo concinnatur, & ad eadem conuenit, vrinæ ciendæ vi præditum.

*De Mandragorite.* CAP. LXXXI.

Vinum è Mandragora ita conficito: Corticem radicis mandragoræ concidito: segmentorum minæ semissem lino traicito, &  
in musti